

Prima S. Salvatoris, secunda S. Paulini, tertia S. Mauritii vocatur, ex his Senatus supremum Magistratum, quem Signoriam vocant, eligit, ternos scilicet è singulis partibus, quibus additur Gonfalonarius, id est, vexillifer, Reipublicæ caput, qui per vices modo ex hac, altero anno ex altera, tertio ex tertia, & sic rursus à prima factò initio, sumitur.

Decem hi tertio quoque anno eliguntur, & Gonfalonario excepto, Antiani vocantur. Fit autem electio hoc modo. Tres, pro partium civitatis numero, viri ad numeranda suffragia deputantur, quos Assortatores nominant. Inde Senatus quibusdam Gonfalonarii eligendi dat negocium. Electioni vero Assortatores assistunt, in loco à Consilio separato, & numerant pilulas usque ad CLXXX. quorum numerus, præterquam illis, nemini est cognitus. ne quid vero fraudis ab eis committatur, duo monachi eis adjunguntur, unus è S. Dominici, alter è S. Francisci familia. Assortatores potestatem habent magistratibus jam creatis tale temporis spacium præscribendi quale illis videtur, hoc scilicet modo: ut Cajus hoc mense huic officio, Nævius illo mense alteri præsit, &c. Et deputatio hæc in secreto fit, nec cuiquam sub gravi pœna licet eam revelare. Porro magistratus five Signoria in Palatio semper se continet, & publicis sumptibus alitur, neque inde, nisi capitis pœnam incurrere velint, discedere eis licet. Ex Decem-viris Commendator eligitur per vices, cujus munus per tres annos durat. Is ceteris adeoque ipsi Gonfalonario imperandi & solus ad Collegium referendi, non tamen sine ejus assensu quidquam statuendi habet potestatem. Rem à Commendatore collegis propositam & probatam, Gonfalonarius inde Senatus proponit. Et illorum quidem imperium ad externos tantum pertinet, non ad cives, & referendi, nihil tamen decernendi, ut diximus, habent potestatem.

Secretariorum istorum, qui tres sunt, officium ad Majestatis crimen tantum extenditur: in quo ipso Gonfalonario sunt superiores, nec tamen sine eo quidquam facere possunt. Et si autem prius ad Consilium quod facturi sunt referre teneantur, fit tamen sæpe, necessitate scilicet ita exigente, ut factum anticipent, & postmodum rationem ejus apud Senatum reddant.

Consilium Colloquii, ut vocant, constat XVIII viris è Senatu electis. Hi in rebus intricatis & dubiis, de iis quæ in Senatu proponenda sunt disceptant, & dictis sententiis, cum X viris five Signoria deliberant, an res porro Senatus proponenda sit, nec ne.

Sex virorum Collegio publicorum reddituum & ærarii cura commissa est. E Majori Consilio eliguntur, & ministrum, qui decreta ipsorum exsequatur, habent Camerlingum, quasi Camerarium, dictum.

*Italia.*

Rota (magistratus plerisque Italiae urbibus) tribus constat Iurisconsultis, quorum patria quinquaginta ab urbe milliariibus absit. Unus titulum habet Potestatis: alter Iudex est maleficiorum: tertius causarum civilium. ita ut unoquoque semestri inter se officia permutent. Si Potestas civem aliquem in manu non habeat, sententiam suam scriptam Consilio tradit, quod illam vel approbat vel refutat. De peregrinis vero solus Potestas, sine aliorum interventu, judicat. Breviter, omnes causæ civiles à tribus his viris tractantur.

Aula mercatorum novem constat viris, ternis scilicet à singulis urbis partibus electis. Ab his res ad mercaturam pertinentes disceptantur, & delinquentes etiam capite multantur. Iurisconsultum habent extraneum, tanquam judicem.

Abundantia officium novem itidem viros habet, pari ratione electos. Horum est, urbi de frumento prospicere & quæ ad victum & alimoniam pertinent, & de omnibus causis quæ hæc concernunt, cognoscere.

Sunt & alii qui reliquarum rerum ad munitionem spectantium, eorumque locorum ubi illæ asservantur, curam habent.

Itemque alii sex Commissarii dicti, qui remi militarem procurant, & eis qui in agris delecti sunt, ut necessitate aliqua ingruente præsto sint, præsent, & in ejusmodi controversiis judicant.

Nec non tres alii qui Sanitatis curatores dicuntur. Horum est, operam dare, ut sordes, immunditiæ, cibi noxii & corrupti, & ea omnia quæ sanitati nocent, quantum fieri potest, amoveantur.

Porro quia in omnibus civitatibus homines degere solent otiosi, laborum fugientes, & variis vitiis & sceleribus inquinati, Lucenses Consilium habent particulare, quod de discolis, ut ipsi vocant, id est, malefieriatis & improbis civibus atque incolis cognoscit. Cognoscendi modus talis est.

Septimana illa proxima ante Pascha, quæ sancta dicitur, qui in hoc consilio sunt, certo quodam loco congregantur. Ex iis unusquisque schedulam, in qua nomen ejus quem ille pro homine flagitioso & civitate indigno habet, scriptum est, in arcam ad id præparatam immittit. Quo factò, schedulæ promuntur: ac si forte alicujus nomen aliquoties iteratum legatur, res ad Majus Consilium refertur: ibique rursus suffragia ineuntur: quorum duæ partes si nominato illi adversentur, is talis pro homine nefario & civitate indigno judicatur, statimque exulare eo adhuc vespere publica præconis voce jubetur. Proscriptionis vero hic modus est, ut intra triennium quinquaginta milliariibus ab urbe absit: cui si contravenerit, capitis pœnam incurrit. Finito triennio si is reversus vitam non emendarit, rursus eodem modo

B b b

iii